



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies  
Distribvtis**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, 1637**

S. Augustinus Ep. 28. Augusti.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-44055**

abiit. Lectum sarmenta sternebant, cervicem lapis fulciebat molle semper castitati pulvinar. Caput omniaque in mensa panis, cella fons fuit. Calcei nulli, vestis ei unica, præter cilicinam, quæ pectus ita astringebat, ut sanguis expressus in sanie abiret; sed hac illa formosissima Superis videbatur. Interea primo manè sacris aderat, reliquum diem visendis ægris, & rogandâ, quam pauper in pauperes erogaret, stipe non malè comburebat. Mortis diem à cælo edocta cum à matre filia mnemosynon expeteret, calceos suos illa promisit. Et nimurum, ajebat hæc, illos, quos nullos habes? imò, illa, quos mors donabit. Et ecce dum defunctam intruetur filia, videt tenuissimis membranis calceatam. Detracta ea spolia salutem morbidis plurimis tulerunt. Et quid jam dubitas virtus ad cælum etiam per medias spinas currere, quando contra has te cælum calceabit? Ex Ferrar.

*Quam præclara possessio sit humilitatis, si norunt, qui jugum illius ferre non erubescunt. Nudus & sine calceis ingredi potius elige, quam humilitate spoliari: nam humilitatis studiosos Deus ipse protegit atque defendit. S. Ephrem de vit. spirit.*

S. AUGUSTINUS E.P. 28. Augusti.

AUGUSTINVS ubi manus Deo & D. Ambrofio dedit, in Africam redux & sacerdos primùm, mox Pontifex Hipponeñsis factus, patrem se Catholicis omnibus, hostem hæreticis acerrimum exhibuit, quorum manus divino præsidio sæpius evasit. Mores improbos suorum liberrimè pro concione carpsit, illorum præsertim, qui sacris vel à principio non adessent, vel ante finem subducebant se; quique non Deo loqui in templo, sed homini-

hominibus confabulari consuissent. Mensa ejus,  
quæ frugalis erat, & vasis vel ligneis vel testaceis  
superba, quoslibet hospites admittebat, si illos ex-  
cipias, quos ascripti hi versiculi proscribebant:

*Quisquis amat dictis alienam rodere vitam,  
Hanc mensam vetitam neverit esse sibi.*

Supremūm æger Davidis carmina, quæ à pœ-  
nitentiâ nomen habent, parietibus cubiculi inscri-  
bi voluit, interque earum commentationes mor-  
tem sanctissimè obivit, & Ecclesiæ hæreditatem  
amplissimam eloquentiam suam & profundissi-  
mam doctrinam reliquit; illud puto juventuti le-  
gavit, quod in libr. XXII. de civit. Dei c. 8. narrat;  
matrem scilicet filios immorigeros diris devovis-  
se; vota cælum audisse; & illos vagos, & horrendā  
omnium membrorum concussione tremebundos  
orbem pererrasse; ex his denique duos ad aram  
D. Stephani sibi redditos esse. Superi! si improba  
mater in improbos filios tantum potuit, eheu!  
Mariani, quid in immorigeros MARIA MATER  
poterit? Ex vitâ & ipsius D. Augustini libris.

*Si terrenos parentes tanto affectu diligimus, qui par-  
vo tempore pro nobis sustinuerunt labores, nonne caelstis  
pater magis amandus est, qui pro nobis crucifixus est?  
Nam quidquid parentum nostrorum circa nos fuit obser-  
gium, ejus est beneficium. S. Aug. l. de salut. docum.*

### DÉCOLLATIÖ S. JOANNIS BAPT.

- 29. Augusti.

**N**atalitias hoc die Herodes epulas dedit, quas  
rectius funebres vocabimus. Aut enim nul-  
las, aut istas sol fugit, quas sanguine humano heu-  
nimium nobili crudelitas condivit. Nam cum ad  
reliquas mensæ illecebras filia etiam accessisset, &

faltu